

illud est conveniens & simul utile (§. 39.) ; quod vero non tollit, illud omnino inutile , immo magis noxiū si largiter adhibetur. Quodlibet enim medicamentum suam exerit efficaciam , quae ipsi insita est. Quando igitur causam efficientem id nullo modo tangit, aliam operationem in corpore efficiet; utilem quidem neutiquam; cum causa intacta sit; verum sat noxiā, nam priori cause haec additur, quippe sistema motuum perturbans, atque mala duplia infert; immo etiam mortem potest haec adducere, si medicamenta assumantur inutiliter quidem, at nimis copiose: cum enim operatio eorum multiplex sit, & longe efficaciori vi operetur, totam vim motuum facile extinguit (§. 22.).

§. 41. Quicunque igitur causam clare perspectam sibi habet, atque usum simplicium medicamentorum perspicue cognoscit (§. 40.), is facile quidem morbum curare novit, & quidem medicamentis simplicibus & paucissimis, at vero congruentibus & conduceentibus, immo vero qui morbum facile curare novit, & quidem medicamentis simplicibus & paucissimis, ille causam morbi atque usum utilium medicamentorum simplicium clare cognoscit.